

David Chyträus

**Dauidis Chytraei || IN PSALMVM || CXVII.|| Laudate Dominum omnes || gentes:||  
ENARRATIO, EX PRAE-||lectionibus in Schola || excepta.||**

Rostock: Ferber, Augustin d.Ä., 1589

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1742778259>

Druck    Freier  Zugang



INDICE LIBRARI

LIBRARIA

LING

INDICE LIBRARI

LIBRARIA

INDICE LIBRARI

Fr. 24275 5 Preß  
Aug. 2-6. 214 p. 2d Afri  
A-852 a. 10.

F. M-3598 1.2





*Dauidis Chytrei*  
**IN PSALMVM  
CXVII.**

*Laudate Dominum omnes  
gentes:*

**ENARRATIO, EX PRA-  
lectionibus in Schola  
excepta.**



**ROSTOCHII**  
*Typis Augustini Ferberi iunioris,*  
**ANNO M. D. XIC.**



# PSALMVS

## CXVII.

*Laudate DOMINVM  
omnes gentes, laudate eum omnes  
populi.*

*Quoniam confirmata est su-  
per nos Misericordiae eius, & Ve-  
ritas DOMINI manet in ater-  
num. Hallelujah.*

 RGVmentum Psalmi est Do-  
ctrina de Regno ac beneficijs  
Christi, & de ECCL~~E~~SIA  
ex omnibus gentibus Deo col-  
ligenda ; & GRATiarum actio  
pro Beneficijs Messiae, videlicet pro Gratia  
MISERICORDIA Iudeos & Gentes pro-  
missioni credentes pariter in gratiam recipien-  
te, & VERITATEM seu veram no-  
ticiam veri Dei, veram justiciam, veram  
consolationem, laeticiam, vitam, & gloriam  
sempiternam donante.

A 2 LOCI

# LOCI DOCTRINÆ PRÆCIPVI.

I. De *LAVDE* & Glorifica-  
tione Dei: *Quid sit LAVDARE*  
*Deum, seu Halleluiah canere?*

II. *Qui sint veri CVLTVS*  
*Déi, & discrimen inter cultus veteris & noui Testamenti.*

III. *De VOCATIONE*  
*GENTIVM ad communionem*  
*beneficiorum Christi & societatem*  
*Ecclesia DEi æternæ, iuxta promissio-*  
*nem Abrahæ datam, IN SEMI-*  
*NE TVO Benedicentur omnes*  
*GENTES.*

IV. *Quod hæc Promissio Euangeliij*  
*sit Vniuersalis & Gratuita.*

V. *Discrimen inter doctrinam*  
*LEGIS & Euangeliij.*

De

LOCI DOCTRINÆ.

VI. De REGNO Christi, quod futurum sit spirituale, non politia Moy-sis, & de discrimine inter regnum Christi & regna politica seu Mundana.

VII. De Abrogatione Legum Ceremonialium & forensium Mosi.

VIII. De Beneficijs Christi, quæ, duobus vocabulis, MISERICORDIA seu GRATIAE, & VERITATIS, uniuersa Psalmus complectitur.

IX. De IUSTIFICATIONe Hominis coram DEO gratuita, quod SOLA FIDE IN CHRISTVM, seu fiducia Misericordia Dei Gratuita propter Christum promissa, Iudei & Gentes coram Deo iustificantur.

X. Dulcissima Consolatio lethifera

A 3 feris

## LOCI DOCTRINÆ.

feris morsibus Desperationis oppo-  
nenda, **MISERICORDIAM**  
Dei præualere, seu majorem et poten-  
tiorem esse omnibus peccatis ac mis-  
erijs, ut Paulus inquit, **Gratia exube-**  
**rat supra peccatum.**

**XI. De VÆRITATE Diuina-**  
**rum Promissionum.**

**XII De VÆRIS & aeternis**  
**Bonis, qua& CHRISTVS DO-**  
**MINVS in hac vita & omni a-**  
**ternitate nobis impertit.**

**E**X hac tabella locorum, varietas & am-  
plitudo Doctrinæ & sapientiæ salutaris  
ac Ecclesiæ propriæ, hoc breui Psalmo com-  
prehensæ, vt cunq; perspici, & quarum re-  
rum explicatio deinceps expectanda sit?  
Quid ex hoc Psalmo discere? Quam inde  
utilitatem & fructum ad nostra studia &  
pietatem alendam transferre queamus? cla-  
rè & perspicuè oculis subiectum videmus.

Cùm autem breuissimus omnium in  
toto hymnorum Davidis libro, hic Psalmus  
sit:

## BREVITAS PSALMI.

fit : similem esse cogitabitis aureo nomisma-  
ti, quod etsi minimum habeat magnitudi-  
nis & ponderis, tamen plurimum valet.  
Talis enim est oratio sapientum, paucissi-  
mis verbis amplam sententiarum vim &  
rerum copiam complectens ; similis semini  
hoco ac minuto , quod in terra conditum,  
ingentem arborem effundit, ut Grano fina-  
pis Christus Euangelion confert. Cato  
Censorius, cum apud Athenienses loquere-  
tur per interpretem : Interpres ea, quae pau-  
cissimis verbis ille dixerat , vix longo ora-  
tionis ambitu reddidit. Ibi prudetes omnes,  
paucis verbis , tantam sententiarum copi-  
am complecti eum potuisse mirati sunt.  
Talis diuinorum oraculorum βραχυρογια  
est, quae summam vniuersae Doctrinæ Euan-  
gelij, breuibus sententijs , velut aphorismis  
complectuntur. Sicut promissio Abrahæ  
tradita , ad quam nos hic Psalmus deducit,  
vniuersam de Christi persona ac beneficijs  
doctrinam in se continet, Quam Prophetæ  
& Apostoli deinceps longioribus concioni-  
bus enoluunt & enarrant. ut Iohannes  
summam Euangelij uno dicto. Sic D E V S  
dilexit Mundum &c. complectitur. & Bar-  
tholemæus verè dixit: Euangelion esse  
breue & longum.

A 4      Talis

## BREVILOQ. VE-

Talis veterum docendi mos fuit, Bre-  
nibus sententijs, tamquā Gnomis, include-  
re insignes articulos Doctrinæ. vt Christus  
summam legis diuinæ, amplissimæ & inex-  
haustæ sapientiæ, duobus verbis, de Dilecti-  
one Dei & proximi, complexus est. Vnde  
Ignatius, summam Theologiæ, dixit esse,  
 $\tau\acute{\iota}\acute{s}\iota\mu\tau\pi\tau\alpha\mu\tau\pi\mu$  τὸν ἐις Θεόν, καὶ Ἀγάπην ποιὸν ομόφυ-  
λον.

Plato in Protagora. οὗτος δὲ τρόπῳ  
καὶ τῷ παλαιῷ τῆς φιλοσοφίας, βραχυλογίᾳ  
τις λακωνικός. vt septem sapientes breuissi-  
mis gnomis præcepta morum tradiderunt.  
Hippocrates brevibus Aphorismis medicam  
artem inclusit. Quos cogitando euolui &  
explicari voluerunt. Nec legisse semel sa-  
tis est, iuuat vsq; morari. Et conferre gra-  
dum, & dicendi quærere caussas. ac in pri-  
mis hominibus, & vetustis illis temporibus,  
viguit ἡγεμονία & immorari cogitando in  
rerum inquisitione facilius homines potue-  
runt. Nunc nulla, quantumuis longa ora-  
tione, ad cogitandi laborem excitari homi-  
nes possunt.

Quid autem sit βραχυλογία λακωνική,  
qua veteres in docendo Philosophiam tradi-  
disse, Plato ait; Nazianzenus explicat pag.  
515. Τὸ λακωνίζειν, δηλοῦται, σημεῖον  
συλλα-  
-

## TERVM SAP.

ευλαβεῖς γράφειν, ἀλλὰ ποὶ τατιέσωμολίγαε.  
ὅμτως ἐγώ καὶ Βραχυλογώτατορ δύκηρον λέγω, καὶ  
τωλυμήτην ἀντίμαχον. τῶστοις πράγμασι  
κρίνωμεν μηκότε, ἀλλὰ τοις γράμμασι.

Pindarus Oda 4. Pythiorum. *Bala* δὲ τὸ  
μακροῖσι τοικιδερ ἀκοὰ σοφοῖς: Longa bre-  
uiter dicere est Sapientis, seu est grata ora-  
tio sapienti, est gratum audire sapienti.  
Hieronymus (Tom. 4. pag. 76.) Eiusdem  
eloquentiae est, Pauca multis & multa pau-  
cis verbis posse dicere.

Talis est Spiritus sancti in Psalmis &  
cæteris illius scriptis eloquentia, quæ vni-  
co hujus Psalmi versu, seu una propositione  
comprehensam de Misericordia & V E R I-  
Tate Dei æterna sententiam, magna verbo-  
rum & orationis copia & splendore, ac ni-  
tidis figurarum luminibus, Psalm. 103.  
89. & alijs illustrat & exornat. Quantam  
vero Doctrinæ & Sapientiæ varietatem &  
copiam, Psalmi præsentis Dilectica breui-  
tas complectatur; Tabellæ locorum paulò  
antè proposita ostendit. Quos nunc ordi-  
ne explicabimus.

### I.

Quid sit Laudare DOMI-  
NVM?

A 5 Ante-

## LAVS

Antequam definitionem L A V D I S  
DEI recitem: initio de vocabulorum Lau-  
dis & Gloriæ significatione, & an liceat ex-  
petere Laudem & Gloriam? velut ἐν πράξει  
γῳ, Grammatica quædam explicabo.

Vicinæ voces sunt, LAVS, GLORIA,  
Bona fama, Honor, Decus, Splendor, Lau-  
dare, celebrare, & in sacris literis, MAGNI-  
, FICARE, BENEDICERE &c. LAVS in  
genere est præconium virtutis, seu compro-  
batio & prædicatio virtutum ac rectè facto-  
rum, instituta ad hunc finem, ut ornet vir-  
, tute præditos, & alios ad imitationem inui-  
tret, & Deum fontem virtutum celebret.  
Matth. 5. Luceat lux vestra, coram Homi-  
nibus, ut glorificetur pater vester qui in cœ-  
lis est. Discernuntur autem Laus & Lau-  
datio, quæ & vocem exigit: sed Laus etiam  
taciti est benè sentientis, & bonum apud  
se laudantis. ... Gloriam dici volunt, qua-  
si claram, à cœlitate, C pro G, vt in Caius,  
Cneius, Cladius, Gladius.

Sunt autem Laus & Gloria, voces Re-  
latiuae, quarum fundamentum est VIRTUS  
eximia, præstans sapientia, iustitia, miseri-  
cordia, eruditio doctrinæ, beneficentia, &  
bene merita erga Ecclesiam, Rempublicam,  
& omne genus humanum. Terminus est

AGNI-

## GLORIA.

AGNITIO & prædicatio aliorum hominum tribuentium alicui præstantiam virtutis ac beneficiorum. Eit igitur vera LAUS & vera GLORIA, approbatio Dei, & propriæ conscientiæ rectè iudicantis, & aliorum bonorum ac rectè iudicantium celebratio. Gal. 6. Prohet opus suum, seu consilia & actiones vitæ omnes ad normam voluntatis & verbi diuini expendat, examinet & gubernet viuisquisq;, & sic in seipso Gloriam, seu testimonium propriæ conscientiæ, approbantis rectè facta habebit, & non EX ALIORVM obrestitutione vel aliena assentatione famam auctupabitur, ~~δικαιοσύνης οὐδὲ τινα θέλει~~. Non enim videri optimus, sed esse volet. Hanc veram gloriam & laudem vult Deus ab omnibus legitimè expeti, Philip. 4. Quæcunq; sunt bonæ famæ, si qua virtus, si qua laus, hæc cogitate, quæ & didicistis & videotis in me, hæc facite. Matth. 5. Sic luceat lux vestra &c. Nam veram laudem & gloriam expetere, est VIRTUTE M expetere, & omnia bona opera lege Dei mandata, & labores vocationi conuenientes studiose colere. Econtra bonam famam seu veram laudem & iudicia bonorum contemnere, est virtutem ipsam & rectè facta negligere ac

son-

## L A V D E M

contemnere, vt in Tragædia dicitur, L E-  
V I S est, nec illum stimulat Gloriæ decus.  
Ideo vult Deus bonam famam & infamiam,  
seu laudem & vituperium, imò præmia ac  
pœnas Magistratuū, discernere honestos ac  
inhonestos, vt discrimin virtutum & vici-  
orum, seu expetendorum & fugiendorum  
illustrius conspi ciatur, ac vt alij homines,  
bonis exemplis, & recte factorum laude ac  
celebratione, ad colendam virtutem &  
D E V M autorem virtutis inuitentur. vt  
Augustinus ait: Bona conscientia mihi opus  
est, Bona fama, proximo: seu vt verba Au-  
gustini ipsa sonant: Propter nos conscien-  
tia nostra nobis necessaria est; propter vos,  
fama nostra non polluitur, sed pollet in vo-  
bis. Conscientia tibi necessaria est, Fama  
proximo tuo.

T R Ahimur autem omnes natura  
Laudis studio, & optimus quisq; gloria du-  
citur: vt pro Archia Cicero prolixè euol-  
uit. Talis cupiditas laudis & Gloriæ  
cùm natura hominibus insit: sed adflatu di-  
aboli, hac voce: E R I T I S SICVT DII;  
horribiliter depravata & peruersa sit: recte  
moderanda & regenda est, ne κενοδοξοι si-  
mus, seu vanam & falsam gloriam, nudam  
celebritatem & iactationem nominis nostri,  
illegi-

## EXPETERE.

illegitimis rationibus potius, quām veram laudem & virtutem ipsam consectemur. Sunt enim variae ac multiplices à verae laudis via aberrationes. Alij arrogant sibi sapientiam & virtutem eximiam, quae non adest, & falso ac immodicè seipso*s* prædicat, vt Pharisæus (Lucæ 18) & Thrasones in Comœdijs, & plurimi in communij vita, Denen die Nachbarn vbel gerathen sein. Quemcunq; verò audietis se ipsum prædicantem & laudantem, illum vera laude adhuc indigere seu stultum esse, non dubitate. ουτοὶ μὲν ὁ παῖς ἀλλωρ ἐπουντοῦ οὐδεὶς οὐδεὶς τέρποις δέ ὁ πρῶτος αὐτῶν, λυπηρότατος. Plerique applausum stultæ multitudinis, non vera virtute, sed assentatione, vel alijs vanis aut malis artibus aucupantur, vt Tribuni plebis Romani. Talem gloriam qui spreuerit, veram habebit. vt Seuerus Imp. εμμελῆς ἡμί τῷ προστέλλειν: ἀμελής δὲ τῷ πρῶτῳ αὐτῷ λογοποιημένωρ. Alij obtrectatione aliorum præstantiorum, & repræhensione ac vituperatione parium aut collegarum gloriam venantur, vt Zoilus Homerum, Tribuni Scipionem traducunt. In Academijs nonnulli, quod alteri decedit autoritatis & existimationis, id sibi accedere arbitrantur.

Alij

## GLORIA

Alij inuident bonis, ideoq; eos preme-  
re, aut tollere cupiunt, vt iphi soli emineant,  
vt Saul Dauidi: Cain Abel. Quidam  
ωρολυπταγμοσώη mouent non necessaria ex  
tra vocationem, vt sapientiores & præstan-  
tiores habeantur, sed της ωρολυπταγμοσώης  
ἔνθη κενεώτεροι ἔχο. Has illegitimas &  
aberrantes laudis ac gloriæ appetendæ vias  
studiosè vitemus, & cum Amphiarao Ae-  
schili, οπιδοκέρατος, ἀλλ ξίνου θέλω, βα-  
θαρ ἄνλακα διὰ φρενῶρ καρπόμενος, & φῆς τα  
καλὰ βλασάνε βυλεύματα. Non videri opti-  
mus sed Esse velim, Ex profundo sapientiæ  
fulco fructum carpens, vnde præclara  
illa consilia germinant. Cum Claudio  
quidam Scipioni diceret, se omnes ciues no-  
minatim salutare posse; Scipionem verò  
plerosq; non nosse: respondit Scipio, Mihi  
numquam curæ fuit, vt multos nossem, sed  
vt Ego nemini ignotus essem. In Seneca, Phi-  
losophus quidam Idomeneo aulico scribit:  
Si gloria tangeris, notiorem te epistolæ meæ  
facient, quām omnia ista, quæ colis: & pro-  
pter quæ coleris. Sed his Parergis tan-  
dem relictis, Quid sit D E V M L A V-  
D A R E, seu HALLELVIAH canere,  
addeamus: Verè enim Augustinus, Totum  
negocium beatorum in cœlis erit sine de-  
fectu.

## LAUDARE DEVUM.

Festu HALLELVIAH. Psalm. 84. Be-  
ati qui habitant in domo tua Domine , in  
secula seculorum laudabunt te. Quas lau-  
des Dei, vt reliquas vitæ æternæ actiones,  
in hac mortali vita inchoari necesse est.  
Ideò toties ad laudandum Dominum Psal-  
mi 113. 117. 118. 103. 104. 146. 147. 148.  
105. 106. &c. nos cohortantur. Præde-  
stinati enim sumus à Deo in adoptionem  
filiorum in L A V D E M gloriæ Gratiae  
eius. Nec quidquam à nobis aliud Deus  
pro immensis , quibus nos quotidie obruit,  
beneficijs flagitat, nisi laudem & celebrati-  
onem. Psalm. 116. Quid retribuam Do-  
mino pro omnibus quæ retribuit mihi,  
Tibi Sacrificabo hostiam laudis, & nomen  
Demini prædicabo. Psalm. 50. Sacri-  
cium laudis honorificabit me. Est autem  
Laudare Dominum, Gloriam virtutum &  
benefactorum omnium, Deo tribuere, eum-  
que celebrare. vt 1. Petri. 2. definitur.  
Vos estis gens sancta , populus acquisitus ,  
vt VIRTUTE S annuncietis eius, qui ex  
tenebris vos vocavit in lucem suam admi-  
randam. Laudare Deum est virtutes eius  
annunciare.

Sit igitur hæc qualiscunq; descriptio :

LAV-

HALLELVIAH.

ueralaudis  
descriptio **LAVDARE DOMINI**  
**NVM est mente grata agnoscere,**  
**E ore ac voce profiteri, quod verè sit**  
**DEVIS sapiens, BONVS, omnipotens,**  
**iustus, verax, misericors, sapien-**  
**tissime E iustissime omnia gubernans,**  
**Pater, Filius, E Spiritus san-**  
**ctus, recipiens, iuuans, exaudiens E**  
**saluans nos propter Filium Mediato-**  
**rem: E prælucente hac agnitione E**  
**fide, vero corde se Deo subiucere E**  
**obedire, E has virtutes Dei, ac Bene-**  
**ficia creationis, Redemptionis E**  
**sanctificationis omnia, imprimis ve-**  
**rò BONITATEM E MISERICORDIAM erga nos**  
**immensem, unigenito filio suo, pro**  
**nobis Homine, E victima facto de-**  
**claratam, non voce solùm E hymnis**  
**ac carminibus pijs, verùm etiam to-**  
**tine**

## L AUDARE DEV M.

tius vita obædientia & conformitate  
cum Deo celebrare, ut Deus honore à  
nobis affiliatur, & plures alij nobi-  
scum, ad veram Misericordia & ve-  
ritatis diuina agnitionem & celebra-  
tionem inuitentur.

Sic omnes primæ Decalogitabula  
cultus, ac imprimis Fidem, seu ve-  
ram agnitionem Dei, & misericordia  
in Christo promissæ, Gratiarum actio-  
nem, confessionem, ac prædicationem  
Bonitatis & Misericordia diuina,  
*L AV S D E I* complectitur.

Ideoq; omnia, quæ de Gratiarum actione  
D E O præstanda, in enarratione Psalmi  
CONFITE MINI nuper differuimus,  
velut pars Laudis & glorificationis Dei  
præcipua hoc transferantur.

Cùm autem verè DEV M Laudare, sit cer-  
tò credere & confiteri, verè esse Deum; ve-  
rè curare & gubernare omnia, nos respi-  
cere, nobis propicium adesse, exaudire in-

B nocan-

## L AUDARE

uocantes, liberare ex periculis, ignoscere  
& misereri implorantibus misericordiam  
&c. manifestum est, nemini laudare Deum  
posse, qui solam Legis doctrinam audit, quae  
Dignis solum, & perfectam obedientiam si-  
ne ullo peccato & nauo præstantibus, bo-  
na promittit: Sed oportere audiri & fide  
apprehendi Euangelion, quod Gratis De-  
um per misericordiam, propter Christum  
nos quanquam indignos & pollutos, sed  
tamen agentes pœnitentiam, & fide confu-  
gientes ad thronum Gratiae Filium media-  
torem, recipere, exaudire & saluare, docet.  
Quare cum Psalmi nos laudare Deum ju-  
bent, reuocemus nos à lege & à conspectu  
nostræ dignitatis, ad gratuitam misericor-  
diam propter Filium in Euangelio promis-  
sam, quod videlicet Deus gratis, propter  
Filiū mediatorem nobis propicius sit,  
nos respiciat, curet, exaudiat & omnia hu-  
ius vitæ bona ac æternam salutem tribuat.  
Hanc laudem non tribuere Deo possumus,  
cum ad nostram dignitatem respicimus.  
Imò sic excutitur Fides, laudans bonitatem  
& misericordiam Dei, & opprimuntur ani-  
mi dubitatione, cum cogitamus DEVM  
dignis solummodo & meritis bona tribue-  
re, iustos & nullo peccato pollutos recipe-  
re, ex-

## DEVM.

re, exaudire, saluare. Sed præcipuus honor Deo tribuitur, cum statuimus, eum ita Misericordem & Veracem esse, ut iuxta promissionem in Euangelio expressam verè nos indignos & pollutos Gratis propter Christum in gratiam recipiat, exaudiat, & saluet, ac promissa bona verè præstet.

Sed tota de L A V D E Dei doctrina, il-  
lustrior, ex sequentis loci, de VERIS CUL-  
TIBVS DEI, explicatione futura est.

## II.

Qui sunt veri Cultus Dei: & de  
discrimine cultuum veteris  
& noui Testamenti.

Deus condidit homines, non ut ociosi  
cura & negocio omni vacent, sed ut Deo,  
suam bonitatem, sapientiam & iusticiam il-  
lis communicanti conformes sint, eumq;  
vicissim grata mente & voce ac totius vitæ  
obedientia L A V D E N T ac celebrent.  
Ideò necesse est actiones aliquas esse, per  
quas Deus se nobis in hac vita communicet,  
& quarum finis immediatus sit Laus & Ce-

B 2 lebra-

## SACRIFICIVM

Iebratio Dei. Tales sunt, prædicatio & studia doctrinæ à Deo traditæ, Agnitione Dei & seruatoris nostri IESV CHRISTI, Timor Dei, Fides, confessio, inuocatio, Gratiarum actio, conformitas cordis, & læticia in Deo, ac totius vitæ obedientia &c. per quas actiones homo fit Templum Dei, & Deum in hac vita & omni æternitate laudat & celebrat. Quas verbo LAUDATE, & appellatione sacrificij seu hostiæ LAVDI S, Psalmi complectuntur. quarum fons & origo prima est, ministerium Euangelij seu prædicatio verbi diuini, Rom. 15. Sum minister Iesu Christi, sacrificans Euangelion ut fiat oblatio Gentium Deo accepta, sanctificata per Spiritum sanctum.

Est autem SACRIFICIVM EVCHARISTICVM seu CVLTVS DEI in genere, actio seu opus à Deo mandatum, quod prælucente vera Christi agnitione & Fide Deo præstamus, hoc fine, ut DEVM honore afficiamus, hoc est, ut testemur, nos agnoscere, hunc verè esse Deum, cui hanc obedientiam exhibemus, & nos ei pro acceptis beneficijs Gratiam referre, & alios ad Dei agnitionem & celebrationem invitare. Nec merentur nostri cultus seu bona opera, facienti vel alijs remissionem peccato-

## L A V D I S.

catorum , nec sunt precia pro peccatis , aut iusticia coram Deo . sed sunt testificatio nostræ obedientiae & gratitudinis erga Deum . Nec placent Deo , nisi cum prius fide statuimus nos placere Deo propter Christi sacrificium , & placere hanc , quamuis imperficiam obedientiam , propter Christum mediatorem pro nobis interpellantem , & sacrificia nostra offerentem Patri , Ebr . 13 . Per ipsum offeramus hostiam semper DEO , h. fructum labiorum confitentium nomini eius . 1. Pet . 2. Estis sacerdotium sanctum ( sacerdotes sancti ) ut offeratis hostias spirituales , acceptas Deo per Iesum Christum .

Nominat autem SPIRITUALES  
HOSTIAS ; non sacrificia pecudum , quas Leuitici sacerdotes Deo offerebant : nec Leuiticas , aliasuè ceremonias & gestus externos ; nec honesta etiam externa opera & virtutes morales Pharisæi , Lucæ 13 . Aristidæ , Socratis , sine vero Timore Dei , & Fide : sed veram cordis pietatem , verum Timorem Dei , Fidem & obedientiam interiorem , à spiritu sancto per verbum Dei accensam , quæ prælucere omnibus externis actionibus debet , & ad hunc finem referri , ut Deus honore afficiatur . Hic primus & summus gradus , & velut Anima & vita reliquorum

B 3 cultu-

## GRADVS CVL-

cultuum externorum, est vera conuersio ad Deum, & Fides in Christum, & cordis obedientia interior. Deinde opera moralia seu virtutes secundæ Tabulæ, seu officia iusticiæ & dilectionis erga proximum. Postremus & infimus gradus, etiam in veteri Testameno, erant ceremoniæ & sacrificia pecudum, quæ nec remissionem peccatorum merebantur, nec placebant Deo, nisi præluceret in corde verus timor Dei, & fides ac obedientia moralis. Psal. 50. Non in sacrificijs tuis arguam te. Nunquid manduabo carnes taurorum &c. immola Deo sacrificium laudis & inuoca me in die Tribulacionis. Esai. 1. Quo mihi multitudinem victimarum vestrarum dicit Dominus? Lauamini, mundi estote, definite male agere. Ieremi: 7. Non præcepi patribus vestris de holocaustis & victimis. Sed hoc præcepi: Audite vocem meam, & ambulate in omni via, quam mandaui vobis. Ose. 6. Misericordiam volo & non sacrificium. Marc. 12. Diligere Deum & proximum, plus est, quam omnia holocausta & sacrificia.

Hoc loco tota doctrina, de sacrificijs seu veris CVLTIBVS DEI, seu BONIS OPERIBVS, Quid sint? Quæ species? Qui Gradus? Quomodo fieri possint? Quo-  
mede

## TVVM.

modo placeant Deo? Quo fine præstanta  
sint? de discrimine inter bona opera seu vir-  
tutes Christianorum ac Ethnorum: de di-  
scrimine inter cultus seu SACRIFICIA  
veteris & Noui Testamenti: Sacrificia pe-  
cudum ceremonialia, & Sacrificia laudis,  
spiritualia ac æterna, de quibus Psalmi hu-  
jus initium præcipit, &c. quam in proæmio  
Leuitici explicauimus, repetatur.

## III.

### DE VOCATIONE GENTIVM.

Singulari consilio DEVS populum  
Iudaicum à ceteris gentibus, circumcisione  
& alijs ritibus per legem Moysi (traditis)  
distinxit, ut agnosci & conspici vera Eccle-  
sia Dei, columna & sedes veræ de Deo &  
Redemptore nostro Iesu Christo doctrinæ  
posset. Cùm enim velit Deus quemlibet  
faluandum inseri Ecclesiæ & ministerio Eu-  
angelij de Christo adiungi; certum popu-  
lum delegit, in quo promissiones de Chri-  
sto conseruarentur, & Christus redemptor  
palam exhiberetur, doceret, ederet mira-  
cula, fieret victima, & resuscitatus ex mor-  
te conficeretur.

B. 4

Sum-

## GENTIVM

Summa igitur priuilegia populi Iudaici  
præ omnibus populis & gentibus toto orbe  
terrarum fuerunt, quod Deus hunc popu-  
lum præ cunctis nationibus sibi in peculi-  
um & regnum sacerdotale ac gentem san-  
ctam elegerat, cum qua sua voce & circum-  
cisione fœdus fecerat, eumque suo verbo,  
promissionibus, Testamentis, legibus, pa-  
tribus, sacerdotio perpetuo, cultibus & na-  
tuitate Christi secundum carnem, Deus  
ornarat.

Econtra Gentes, omnibus hisce do-  
nis carebant, erant sine Christo, alieni à  
politia Israël, extranei à testamentis & pro-  
missione, spem non habentes, & ἀθεοι in  
mundo: dediti immani Idolomaniae, & cul-  
tibus commentitiorum numinum ferè in-  
numerabilium, tetricis libidinum confusio-  
nibus, maestationibus hominum in sacrifi-  
cijs, & alijs furoribus horribilibus.

Itaq; Iudæi longè gentibus ἀθεοις & ido-  
latris se anteferebant, & Christum cum re-  
gno ac beneficijs suis ad se solos pertinere  
judicabant. Consuetudinem quoq; & con-  
uictum ac connubia gentium vitabant, vt  
A&t. 10: Petrus inquit: Nefas fuisse viro  
Iudæo ad gentilem ingredi. Adeòq; pertina-  
citer hæc opinio de prærogatiua populi Iu-  
daici,

## VOCATIO.

daici, & regno ac beneficijs Messiae ad solos  
Iudaeos pertinente, infixa fuit Iudaeorum  
animis, ut Petrum Apostolum noua reue-  
latione oportuerit de vocatione Gentium  
& abrogatione Legis Mosaicæ erudiri. cum  
iamen semper in promissionibus, & passim  
in prophetis, non obscurè prædictum esset,  
Gentes quoq; ad communionem Benefici-  
orum Christi, & Ecclesiæ Dei societatem  
vocandas esse. Et ante Christi aduentum  
multi ex Gentibus, Abimelech rex Gerare,  
Pharao rex Aegypti, Rahab Hierichuntina,  
Ruth Moabitæ, Naaman syrus, Niniuitæ,  
Nabugdonosor & alij, membra veræ Eccle-  
fuerunt. Et post Christi resurrectionem,  
vniuersalis Gentium vocatio, per Apo-  
stolos inchoata est, sicut promissio patribus tra-  
dita, diserte testificabatur: IN SEMINE  
A B R A H Æ O M N E S G E N T E S  
terræ benedicendas esse. et Iacob vaticina-  
tur, S I L O H seu saluatorem ex tribu Iu-  
da oriundum, à gentibus auditū iri; Et pas-  
sim prophetæ, ac Esaias imprimis, de vocati-  
one gentium, concionatur. Esa. 2. Fluent  
ad montem Domini omnes G E N T E S.  
Esai. 9. Multiplicasti Gentem. Esa. 11.  
In die illa stabit radix Iessæ in signum po-  
pulorum. ipsum Gentes deprecabuntur.

B 5 Esa.

## VOCATIO

Esa. 42. Ecce seruus meus, iudicium gentibus proferet. cap. 49. Dedit in lucem gentium, ut sis salus mea usq; ad extremum terrae. Act. 13. Rom. 15. Esa. 53. Asperget gentes multas. cap. 34. Lauda sterilis quæ non paris. cap. 55. Omnes sitientes venite ad aquas. Ecce testem populis dedium, Ducem & præceptorem gentibus.  
Cap. 60. Ambulabunt gentes in lumine tuo.  
Cap. 65. Ecce ego ad Gentem, quæ nesciebat me. Et Psalm: 72. Omnes gentes seruient ei. 67. Lætentur & exultent Gentes.  
113. A solis ortu usq; ad occasum, laudatur Nomen Domini. Et hic Psalmus 117. Omnes gentes ac populos Dominum LAVDARE, h. FIDE agnoscere, inuocare, Gratias agere, & omnibus obædientiæ officijs colere & celebrare iubet, sicut Paulus citato hoc ipso Psalmi versu, Gentes pro Misericordia in Christo exhibita Deum glorificare docet, Rom. 15. Nemo autem Deum laudare & glorificare, h. Gloriam, tūm cæterarum virtutum, tūm verò gratuitæ bonitatis & Misericordiæ propter Christum promissæ, Deo tribuere, sine FIDE, ex prædicatione & auditu Euangelij concepta potest. vt in eadem epistola Paulus Rom. 10. longa gradatione ostendit: Non  
est

## GENTIVM.

est discrīmen Iudæi & Græci seu Gentilis? Omnis enim qui inuocauerit nomen Domini, saluus erit. Quomodo autem inuocabunt, in quem non crediderunt? Quomodo in eum credent, de quo nō audierunt. Quomodo audient sine prædicante. Fides enim ex auditu est, auditus autem per VERBVM Dei. At dixerit aliquis: Non audierunt Gentes verbum Dei. Atqui in omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis teræ verba eorum. Hanc Pauli concione reētē ad hujus Psalmi enarrationem adhibemus. Cūm omnes gentes & populi, DOMINVM Deum populo Israëli patefactum, Fide agnoscere & laudare iubeantur: necesse est VERBVM seu doctrinam Euangeliū Christi, toto orbe terrarum, inter gentes spargi & prædicari. Non enim possent existere LAVS & veri cultus apud Gentes, nisi de hac voluntate Dei, quod gratuita misericordia nobis propicius esse, nos respicere juuare & salute propter Christum donare velit, per Euangelion docerentur.

Habent quidem gentes naturæ insitam & inscriptam cordibus suis notitiam Legis, quod sit Deus, quod puniat scelera, benefaciat iustis. Sed Euangeliū de gratuita misericordia propter Christum pro-

missa

## VOCATIO

missa ignari , non possunt statuere, se indignos & iniustos ; si pœnitentiam agant , & Fide ad Christum Mediatorem confugi- ant, in Gratiam à Deo recipi , exaudiri , ju- uari & liberari : Sed hærent in perpetua du- bitatione, an Deo curæ sint ? an Deus inuo- cantes exaudiat, iuuet, ac liberet , sicut illa apud Euripidem inuocat : O Dij. Sed quid Deos inuoco ? Nam & ante inuocati non exaudiuerunt. Hæc dubitatio extremè pugnat cum Fide , & impedit ac extinguit inuocationem & Laudem Dei. Sedes au- tem materiæ , seu testimonia præcipua de vocatione Gentium in nouo Testamento sunt : Rom. 9. 10. II. I. 2. 3. Ephes. 2. 3. Act. 10. 13. 15.

## III.

Semper autem, cùm de vocatione gen- tium dicitur , simul ostendi ac demonstrari sciamus, PROMISSIONEM GRATIÆ, propter Christum semen benedictum omnibus gentibus oblatæ, VNIVERSALEM & GRATVITAM esse. Cùm enim , non Iudæi soli , sed omnes gentes & populi , ad communionem Benedictionis Abrahæ promissæ, seu gratuitæ remissionis peccatorum, iustitiæ & salutis æternæ vo- centur :

## GENTIVM

centur : manifestum est, sine vlla exceptio-  
ne & discrimine Iudæi aut Græci, maris vel  
fœminæ , liberi vel serui , promissionem ad  
omnes credentes ex æquo pertinere. Hæc  
est enim voluntas Dei, vt Omnis qui credit  
in Filium, habeat vitam æternam, & Omnis  
qui inuocauerit Nomen Domini, saluus sit:  
Qui verò non crediderit , condemnetur.  
Et mandatum Dei seuerissimum, quod Eu-  
angelio credere, & ad Christum thronum  
gratiæ Fide configere præcipit, itidem v-  
niuersale est, Omnes, Iudæos & gentes, sine  
vlla exceptione alloquens : Venite ad me  
O M N E S , qui laboratis & onerati estis  
( peccato, ira Dei, maledictione Legis, ino-  
pia, morbis &c. ) & ego reficiam vos. Esai.  
55. OMnes fitientes venite ad aquas. Veni-  
te, emite absq; argento , inclinate aurem  
vestrā, & venite ad me, & feriam vobiscum  
pactum sempiternum, Misericordias David  
fideles. Ecce gentem, quam nesciebas, vo-  
cabis, & Gentes, quæ te non cognouerunt  
accurrent propter Dominum Deum, & san-  
ctū Israël, qui glorificauit te. Rom.ii. Con-  
clusit Deus Omnes sub peccatum, vt omni-  
um misereatur. Psal. 2. Beati Omnes,  
qui confidunt in eo. Et Petrus, inchoäta  
vniuersali gentium vocacione, præfatur : In  
veritate

## PROMISSIO VNI-

veritate comperio, quod non sit acceptator  
personarum Deus. Sed in O M N I gente,  
qui timet Deum, & operatur iusticiam, ac-  
ceptus est ei. Cūm enim Deus sit iustus &  
æqualis erga omnes æqualiter se habentes:  
Verè irascitur peccato in omnibus, & o-  
mnes peccatores non agentes pœnitentiam,  
ex æquo abiicit, in æternam damnationem.  
Rursum omnes Iudeos & Gentes, timentes  
Deum, h. agnoscentes sua peccata & me-  
tuentes iram Dei, & fide ad thronum Gra-  
tiae Christum configientes, à peccatis ab-  
soluti, & in gratiam recipit, & salute ac vi-  
ta æterna donat, nec accipit personam, h.  
non considerat in iudicando seu absoluendis  
& damnandis hominibus, alia acciden-  
tia, titulos, diuitias, nobilitatem, poten-  
tiam, doctrinam, paupertatem, insciciam,  
circumcisionem, præputium &c. nihil ad  
hanc normam, *Omnis qui credit in filium, habet*  
*vitam æternam, Qui verò non credit, condemna-*  
*bitur, pertinentia.* Etsi Lazarus pauper  
& ulceribus plenus est. Dives verò opibus,  
potentia, honesta disciplina, sapientia po-  
litica, & morum elegantia præstat: Tamen  
Deus Lazarum credentem recipit: Di-  
nitum verò securum & contemnentem fili-  
um Dei, abiicit. Hæc sententia diligen-  
ter

## VERSALIS.

ter consideranda est, & opponenda tentationi, quæ multorum animos excruciat. Fortè Deus aliquos ad vitam æternam elegit, scriptos in libro vitæ seu catalogo fatali, Petrum, Paulum, Cornelium & similes. Ego nō sum in illo catalogo electorum. Ideo reijsiar. Imò Deus non est ἀρσενικός, sed iuxta vnam normam æqualis est erga omnes æqualiter se habentes, sicut dicitur: Deus vult omnes homines saluos fieri. Itē, Beati omnes, qui confidunt in eo. Omnis qui credit in filium, habet vitam æternam. Hæc vniuersalis in omni inuocatione cogitanda est, & opponenda temptationibus illis, de particularitate electionis, quæ multorum mentes à Deo auulsas, in æternæ desperationis barathrum præcipitarunt.

Deinde, monet vocatio Gentium, Remissionem peccatorum & vitam æternam, non propter dignitatem propriarum virtutum aut operum, sed Gratis, seu gratuita Dei bonitate & misericordia propter Christum mediatorem credentibus donari.

Cùm enim gentes impiæ ac pollutæ idolomania, libidinibus & alijs sceleribus, abiesto proposito peccandi, configuentes ad filium Dei, perinde recipiantur ut Iudæi, qui mores honestè iuxta normam Legis diuinæ

## GENTIVM

diuinæ semper gubernarunt : perspicuum  
est , Gentes non sua virtute aut operibus,  
quæ impia & damnata sunt , sed gratuita  
Dei misericordia propter solum Christum  
Fide à peccatis mundari , sicut Paulus de  
vocatione Gentium , Rom. 9. 10. Ephes. 2.  
docet . Et vos , gentes , mortuos peccatis , oc-  
cisos à peccato , seu aeternæ ac præsenii morti obno-  
xios propter peccata , in quibus aliquando  
ambulastis , conuiuificauit cum Christo .  
Gratia enim , gratuita misericordia , salui facti  
estis , per fidem , & non ex vobis . Dei do-  
num est , non ex operibus , ne quis glorietur .  
Ipsius enim opus sumus in Christo Iesu ,  
conditi ad bona opera , quæ præparauit De-  
us , vt in eis ambulemus . Ideò mementore  
vos aliquando Gentes in carne , quod sine  
Christo fueritis eo tempore , alieni à Politia  
Israëlis , & hospites Testamentorum pro-  
missionis , spem nō habentes & æternae . Nunc  
autem in Christo Iesu , vos , qui longè era-  
tis , propè facti estis . Rom. 3. Nunc sine  
lege iusticia Dei reuelata est in OMnes &  
super OMnes , Indeos & Gentes , qui credunt .  
Non enim est discrimen , OMnes peccaue-  
runt , sunt peccatores , rei iræ Dei & aeterna da-  
mnationis , sicut antea Paulus demonstrauit , & ca-  
rent gloria Dei , vera iusticia , quam D E V S  
appro-

## V O C A T I O.

approbat & laudat. Iustificantur autem gratia, non propter sua merita, Dei gratia, gratia misericordia, per redemptionem in Christo Iesu, propter meritum & compensationem à Christo factam, quem proposuit DEVS propiciatorium per fidem in sanguine eius, ad ostendendam iustitiam suam, ad ostendendum quod iustificet, per remissionem peccatorum, in patientia Dei, quae tolerauit Deus, ad ostendendam iustitiam ipsius in praesenti tempore, quod praterita & praesentia peccata remittat, ad hoc ut ipse sit justus, & justificans eum, qui est ex fide IESV. Vbi igitur Gloria? de meritis nostris, quod nostris operibus mereamur recipis exclusa est. per quam legem? doctrinam, Operum? non: sed per doctrinam fidei. Concludimus igitur Fidei iustificari hominem sine operibus legis. an Iudeorum Deus tantum? nonne & gentium? certe & gentium. Unus enim Deus est, qui iustificat circumcisioem, circumcisos Iudeos, ex fide: & præputium, præputias Gentes, per fidem. Legem igitur abrogamus per fidem? absit. Sed LEGEM STABILIMVS FIDE, accipiente, gratuita Dei misericordia, propter Christum, donatam iusticiam, & salutem æternam, perinde ac si ipsi perfectè legi satisficeremus. Cum enim finis legis

C sit

## LEGEM FI-

fit Iustitia, quæ est impletio legis: ( Ideo enim lata est lex, vt ei obedientes iusti simus) docet Paulus, iustitiam seu impletionem legis à Christo præstitam, nobis credentibus ad iustitiam imputari & donari, atq; ita Finem Legis Christum esse, ad iustitiam omni credenti Rom. 10.

Deinde, cum remissione peccatorum & imputatione iustitiae Christi coniuncta est donatio Spiritus sancti, qui reliquias peccati in nobis hærentes mortificat, & Nouam ac interiorem obedientiam erga legem, cum voluntate & verbo Dei congruentem, in nobis inchoat, Rom. 6. 7. 8. Cùm impossibile esset Legi iustificare seu tollere peccatum & mortem, eò quod infirmabatur, non seruabatur, violabatur per carnem: misit D E V S filium suum in similitudine carnis peccati in natura humana prouersus simili nostræ, Caro enim Christi par fuit nostræ, genere, non vicio Adx: & de peccato, quia ipse victimæ pro peccatis factus est, damnauit aboleuit peccatum in carne nostra, vt iusticia legis impleretur in nobis, imputatione iustitiae Christi & inchoatione nouæ obedientiæ his qui non secundum carnem ambulant, non indulgent viciosis inclinationibus & affectibus, sed secundum spiritum. Si enim secundum carnem vixeritis, prauis cupiditatibus

## DE STABILIMVS.

*tibus obtemperabis, moriemini. Si autem  
Spiritui Dei sancto, & luce ac motibus congruen-  
tibus legi, à Spiritu S. accensis, actiones carnis  
viciose naturae prauos motus hostili more rebel-  
lantes legi Dei, Rom. 7. mortificabitis, reprimetis,  
compescetis, ne regnent in mortali corpore vestro  
Rom. 6. viuetis, vitam & iustitiam gratis pro-  
pter Christum acceptam retinebitis. Qui enim  
spiritu Dei aguntur, hi sunt Filii Dei, etc.*

*Postremò noua hæc obedientia per spi-  
ritum sanctum in credentibus accensa, non  
sua dignitate & merito, sed fide propter  
Christum Deo placet & accepta est, etiamsi  
procul adhuc à perfectione legis abest, &  
multis sordibus peccatorum contaminatur,  
1. Pet. 2. Offerte hostias spirituales acceptas  
Deo per Iesum Christum.*

*His & pluribus alijs rationibus, Fide  
stabilimus seu firmamus & facimus legem  
Dei, sicut Ambrosius, dictum, Non auditio-  
res sed factores Legis iustificabuntur, enar-  
rans, inquit: Qui sunt factores legis? Qui cre-  
dunt in Christum. nam finis legis est Chri-  
stus, ad iustitiam omni credenti.*

*V. Lo-  
cus. Di-*

*H*ÆC explicatio, discrimen inter doctri- scrimen  
nam & promissiones Legis & Euangeliij Legis &  
illustre demonstrat. Legis enim promissio- Euange-  
C 2 nes lij.

## DISCR. LEGIS ET

nes non sunt Gratuitæ, sed conditionem  
integræ ac perfectæ obedientiæ & confor-  
mitatis erga legem, omnis peccati & labis  
expertis, habent annexam Leuit. 18. Rom.  
10. Qui fecerit hæc, viuet in eis. Deut. 27.

Gal. 3. Maledictus omnis, qui non serua-  
uerit omnia, quæ scripta sunt in libro Le-  
gis. Cùm igitur nemo perfectè faciat le-  
gem, & integrè conformis sit legi Dei, ideo-  
que ex operibus legis nullus hominum co-  
ram Deo iustus existat; Euangelion, gratis,  
propter solum Christum, non propter no-  
stram obedientiam erga legem, agenti pœ-  
nitentiam & in Christum credenti, remissi-  
onem peccatorum, iustitiam & vitam æter-  
nam donat, Rom. 3. 4. 10. Ideoq; cùm  
Lex neminem iustificet, neminem à pecca-  
to & morte liberet, neminem salute æterna-  
donet, sed tantum accuset & augeat pecca-  
tum, ostendat iram Dei, & omnes homines  
damnet propter peccatum, Rom. 3. 4. 5. 6.  
8. Gal. 3. *E V A N G E L I O N* solum est po-  
tentia Dei ad salutem omni credenti, gra-  
tuita Dei misericordia propter Christum do-  
natam remissionem peccatorum, iusticiam  
& vitam æternam proponens.

Omnis autem de sua salute solliciti,  
etiam pij & sancti, hac tentatione de indi-  
gnitate,

## EVANGELII.

gnitate, argumento ex naturali notitia & iudicio Legis sumpto, Fidem suam grauissimè sœpè oppugnari sentiunt: Peccatores Deus non diligit, non exaudit, sed odit, & detestatur omnes operantes iniquitatem. Maledictus omnis, qui non permanet in omnibus, quæ scripta sunt in libro Legis. E contra Iusti placent Deo, & in omni gente, qui timet Deum & operatur iustitiam, acceptus est ei. Ego sum peccator, multis tetricis fôrdibus & delictis pollutus, & indignus qui à Deo diligar, iuuer, exaudiar. Ergo, non sum acceptus Deo: inuocans Deum non exaudiar. Huius obiectionis, ex lege profectæ, solutionem, Doctrina Evangelij, de gratuita remissione peccatorum & iusticia gratis propter Christum donanda monstrat. ac primum ad maiorem: D E V S peccatores non diligit, non exaudit, per distinctionem respondet. Duplices sunt peccatores. Quidam perseverantes in delictis contra conscientiam, non agentes pœnitentiam, non abijcentes propositum peccandi, nec credentes sibi propter Christum Gratis peccata remitti. Hos non diligit nec exaudit Deus, sed odit & abominatur & in æternam damnationem abijcit. Quidam vero agunt pœnitentiam, & Fide ad D E V M

C 3 conuer-

## PECCATORES DEVS

conuertuntur, credunt Gratuita Dei bonitate & misericordia propter Christum peccata remitti, & prælucente hac fide desinunt peccare contra conscientiam, & Deo grata dicere & facere student. Hos in gratiam recipit Deus, & summi Iuris seu Iustitiae in lege patefactæ rigorem ἐπιλεκτας Euangelij mitigans, paterno fauore ac benevolentia complectitur. Deinde IV STI placent Deo, scil. vel perfecte obedientes Legi, quales nulli sunt, vel fide propter Christum iustitia imputata & recto peccato, ut Dauid, Abraham, latro in cruce.

Ego sum peccator, indignus qui à Deo diligar, sed doleo me peccasse, & abijcio propositum peccandi, & fide configio ad Thronum Gratiæ Filium Dei mediatorem propter quem Deus gratiam, remissionem peccatorum, donationem iustitiae & vitæ æternæ promisit: & cum Dauide & Paulo precor:

*Christe tua est nostris maior clementia culpis,*

*Et dare non dignis, res mage digna Deo est,  
Quamquam sat digni, si quos dignatur amore,*

*Qui quos non dignos inuenit, ipse facit.*

*Ergo tuos placido miserans, precor, a spice vultu,  
Quos fecit natos Gratia, culpa reos.*

*Culpa*

## EX AUDIT.

Culpa reos fecit, sed vincat Gratia culpam,  
Ut tuus in nostro crimine crescat bonus.  
Da precor huic tanto, qui semper feruet, amoris  
Ardorem in nostris cordibus esse parem.

## VI.

### DE REGNO CHRISTI, quod futurum sit Spirituale, non po- litia Mosaica: & discrimen in- ter regnum Christi & regna mundana.

In Iudæi tempore Christi in Iudæa docentis somniabant Messiam constituturum quodam externum & mundanum regnum, in quo Lex & politia Moysis propagaretur in totum orbem, & subiecturum esse omnes populos huic politiæ, & distributurum provincias inter Iudæos, qui omnibus gentibus dominaturi, & mundana potentia, legibus & armis, eas in officio retenturi essent. Sed Vocatio gentium clare ostendit, (sicut ipse Christus & Apostoli docent) Regnum Christi in his terris, non esse eiusmodi mundanam politiam (Luc. 22, Regnum meum non

C 4 est

## CHRISTI

est de hoc mundo) & obseruationem rituum & cultuum Mosaicorum, quæ prorsus impossibilis gentibus remotissimè ab vrbe Hierosolyma dissitis futura erat: sed Spiritualem gubernationem Christi, sedentis ad dexteram patris, qua (*non per legem Moysis*) per Ministerium Euangelij colligit sibi ex Iudæis & Gentibus cœtum hominum, qui ipsum Fide agnoscunt & colunt, non sacrificijs Mosaicis, sed laudis, inuocatione, Fide & totius vitæ obædientia morali. *Quos* non prouincijs & opibus mundanis, sed Spiritualibus & æternis bonis, liberatione à peccato & morte & iustitia ac vita æterna beat: eosq; non armis corporalibus, sed solo verbo & Spiritu sancto gubernat, & presos cruce mirabiliter defendit, & tandem ex morte ad vitam & gloriam æternam resuscitabit.

Plurima verò & maximè conspicua inter huius mundi & Christi regnum discrimina sunt: primum enim, modo gubernationis differunt. Nam Christi regnum spirituale, non præsidijs & armis corporalibus, ut mundana, sed solo verbo Dei; seu Euangelio, per ora ministrorum sonante, constituitur, regitur, & defenditur.

Deinde, Beneficia, quæ Rex Christus Ecclesiæ

## R E G N V M

siæ seu subditis suis impertit, non corporalia & momentanea, sed Spiritualia & æterna sunt, remissio peccatorū, liberatio à morte, donatio Spiritus sancti, iusticia & vita æterna  
3. Subditi Regis Christi sunt, non certis limitibus politiarum aut regionum inclusi, Iudæi, Dani, Persæ, sed omnes gentes & populi toto orbe terrarum, à Solis ortu usque ad occasum, verbo Euangelij ad Christum Dominum laudandum h. Fide agnoscendum, inuocandum, vera Fide ac confessio-ne & totius vitæ obedientia glorificandum & celebrandum, inuitantur. 4. Personæ Regum dissimilimæ sunt. Rex Christus est vere & natura Deus: Reges mundani sunt mortales & imbecilli homines.  
5. Modus obedientiæ ac cultus differunt. Reges huius mundi, externa tantum officia militiae togatae ac bellicæ, tributa, & similia requirunt, & externa tantum sclera puniunt. Rex Christus, non externos præcipue cultus, multò minus Mosaicos, sed veram ac interiorem cordis obedientiam, timorem, Fidem, inuocationem, Gratiarum actionem & L A V D E S Dei flagitat. 6. Modus pœnarum. Reges mundani G L A D I O, mutilatione membrorum corporis, carcerebus, multis pecuniarijs, delinquen-

C f tes

DISCR. REGN. CH. ET MVNDI.  
tes plectunt: Rex Christus, per ministerium Euangeli, solo verbo, videlicet combinatione iræ Dei & æternæ damnationis inobedientes castigat. 7. Obiecto gubernationis. Reges mundani custodes sunt exterñæ disciplinæ, & Corpora ac fortunas subditorum defendunt, & puniunt externa scelera. Rex Christus in suo regno seu ministerio Euangeli, circa Annimas præcipue versatur, nec tantum regit exterños mores, sed arguit & sanat Corda per peccatum à Deo auulsa, & horribiliter depravata, perdita & corrupta. 8. Perpetuitate. Omnia huius Mundi regna, quantumvis potentia & ampla, circumactis fatalibus periodis concidunt & extinguntur. Christi vero regnum, perpetuò etiam in his terris, inter varias imperiorum ruinas, mirabiliter defenditur & conseruatur, & durabit in omnem æternitatem. Cùm enim Christus Rex & Sacerdos in Æternum sit: Ecclesia quoque ipsi subdita in omni æternitate, sub ipso Rege ac Domino viuet, eumq; Dominum ac Regem agnoscat, celebrabit, & veris ac æternis laudibus in omni æternitate glorificabit, ut scriptum est: Beati qui habitant in domo tua Domine, in secula seculorum laudabunt te.

Hæc

**L A V D A T E   D O M . o m n e s g e n t e s .**

Hæc significantur Psalmi huius versu,  
Laudare Dominum omnes Gentes iubente:  
Doctrinā Euangeliū de Christo, inter omnes  
Gentes & populos spargendam esse, per  
quod amplissima Ecclesia ex Iudæis & gen-  
tibus colligenda & gubernanda sit, quæ ve-  
rè hunc Dominum agnoscat & colat, non  
ritibus politiae Mosaicæ, quas ab omnibus  
gentibus seruari impossibile esset: sed spiri-  
tualibus ac æternis cultibus & sacrificijs  
laudis, Fide, Inuocatione, Gratiarum actio-  
ne, confessione, prædicatione misericordiæ  
& veritatis seu beneficiorum Christi æter-  
norum, quæ per euangelion, Ecclesiæ sibi  
subditæ impertit. ac de amplitudine regni  
Christi, per omnes gentes & populos, toto  
orbe terrarum propagati, concionantes tum  
cæteri Psalmi, tum verò in primis 72. ad  
præsentis Psalmi versum : Laudate domi-  
num omnes gentes: illustrandum, adhibe-  
antur.

**V I I .**

*Abrogatio Legis Mosaicæ.*

**C**Vm omnes Gentes & populi toto ter-  
rarum orbe, à Solis ortu usque ad occa-  
sum, ad societatem regni seu Ecclesiæ Chri-  
sti pertineant: necessariò sequitur, Leges  
foren-

## ABROGATIO LE-

forenseſ ac ceremonialeſ Moysiſ , quas in o-  
mnibus gentib⁹ ſeruari impoſſibile eſſet, ab  
rogandas eſſe. ſicut perſpicuē Psalmus noſter  
teſtatur, gentes mansuraſ eſſe gentes, nec re-  
cepturaſ circumciſionem aut forenſeſ legeſ  
Moysiſ, ſed vnumquemq; in ſua politia, ſiuę  
ethnica, ſiuę iudaica, präſtiturum eſſe officia  
Chriſto grata. Sublato igitur diſcrimine Iu-  
dæorum & Gentium Psalmus noſter vtroſq;  
exæquat, & pariter D O M I N V M noſtrum  
Ieſum Chriſtum fide agnoſcere, & lætos ac-  
cipere eius beneficia, eiq; obedire & gratias  
agere iubet, & certò ſtatueret, quod non pro-  
pter legem, nec obſeruationem rituum Mo-  
ſaicorum, nec propter propriam dignitatem,  
ſed propter ſolum promiſſum ſemen bene-  
dičtum Chriſtum recipiantur in Gratiam,  
consequantur remiſſionem peccatorum, ex-  
audiantur & ſaluentur. & nouos ac ſpiritu-  
aļeſ cultus Laudiſ, confeſſioneſ, prädicatio-  
neſ miſericordiæ & beneficioř, quæ  
proponit Euangeliο, Gratiarum actio-  
neſ, poſtulat. vnde perſpicuum eſt, ſacrifi-  
cia & riſus Moſaicos finem habituroſ, nec  
gentib⁹ imponendoſ fuiffe. ſicut expreſſe  
a Prophetis prädictum erat, Dan. 9. Cefla-  
re faciet oblationem & ſacrificium. Psal. 50.  
Non in ſacrificijs arguam te, immola Deo  
ſacrificijs

## G I S M O S A I C A E.

sacrificium laudis. Ose. 6. Misericordiam  
volo & non sacrificium. Et omnium cla-  
rissimè Apostoli, Act. 10. 15. Colos. 2. Le-  
ges de discrimine ciborum mundorum &  
immundorum, & sexta Mosaica tollunt. &  
quidem Act. 15. solenni Synodi Apostolo-  
rum decreto, Leges de circumcisione & cæ-  
teræ abrogantur.

Quod autem opponi solet, Voluntatem  
Dei esse immutabilem: Leges verò Mosai-  
cas, Ceremoniales & Forenses, voluntate  
Dei latae esse, Ideoq; abrogari non posse:  
Respondeo ad Maiorem: Leges ceremo-  
niales & forenses sic esse Dei voluntate or-  
dinatas & latae, ut hanc politiam contine-  
rent & regerent, donec hospitium nascentis  
& schola docentis Christi esset. Exhibito  
aurem Christo iterum cessarent & aboleren-  
tur, sicut in procœmio Exodi prolixius ex-  
plicauimus.

## VIII.

### DE BENEFICIIS CHRI- sti, Misericordia & veritate.

VT Iohannes Euangelista, duobus ver-  
bis, Beneficia Christi omnia, & Legis  
ac

## MISERICORDIA

ac Euangelij, Moysis ac Christi discrimen,  
conclusit, cùm inquit, cap: i. Lex per Moy-  
sen data est: **G R A T I A & V E R I T A S**  
per Iesum Christum facta est: Ita Psalmi no-  
strí versus secundus, totidem verbis, sum-  
mam vniuersæ Euangelij doctrinæ, de bene-  
ficijs Christi & iustificatione coram deo no-  
stra, complexus est. quorum breuitas, ex a-  
liorum Psalmorum collatione, ac prolixio-  
ribus Prophetarum & Apostolorum concio-  
nibus, illustranda est.

**M I S E R I C O R D I A** significat miserijs  
nostris vero corde Deum affici, & gratuita  
bonitate & ἐπιεκείᾳ summi iuris acerbitatem  
seu iustitiæ rigorem moderante, propter Fi-  
lium Mediatorem pro nobis intercedentem,  
& λύτρον sufficiens seu pænam iustitiæ Dei  
debitam persoluentem, Remittere nobis  
peccata, & in gratiam suam nos recipere, ac  
iustos propter Christum reputare, nobis  
placatum & propicium esse, nos in omnibus  
periculis respicere, inuocantes exaudire, iu-  
uare, Spiritu sancto suo regere, liberare à  
peccato, morte, maledictione legis, potesta-  
te diaboli ac æterna damnatione, & in sum-  
ma, omnibus bonis vitæ præsentis ac æternæ  
donare.

**V E R I T A S** significat veram lucem,  
seu

## VERITAS.

seu veram agnitionem essentiæ & voluntatis Dei à filio Dei per verbum & spiritum sanctum in mentibus accensam, veram iusticiam & vitam æternam, seu vera & æterna bona, veram & æternam sapientiam sine villa caligine, tenebris, dubitationibus; veram iustitiam, ac conformitatem cum voluntate & lege Dei, omnis peccati & labis experientem; veram ac æternam lætitiam, sine ullo dolore, anxietate, mæstitia; veram & æternam gloriam, & claritatem animarum & corporum, omni corruptione, ignominia & infirmitate vacantem; denique veram & æternam beatitudinem seu cunctorum bonorum secretis omnibus malis complexionem, in qua D E V M fine fine videbimus, sine fastidio amabimus, & sine fatigatione laudabimus.

Vbicunque autem in Psalmis MISERICORDIA Dei prædicatur, semper addenda est mentio promissionis Christi mediatoris, propter quem solum æternus pater gratuita bonitate nobis ignoscit, Psal. 51. Miserere mei Deus secundum misericordiam tuam, scil. promissam propter Christum Mediatorem. Ac ferè eiusdem significationis est vocabulum GRATIA, quo Paulus creberrière vtitur, cum MISERICORDIA: nisi quod

Pau-

## G R A T I A

Pauli vox, particulam Gratis simul includit, & non propter nostram compensationem aut meritum, sed GRATis propter solum Christum nobis Deum misericordem & propicium, peccata remittere, declarat. Rom.ii. Si enim ex gratia, iam non ex operibus, quandoquidem gratia, iam non est gratia: sin ex operibus, iam non est gratia. Quoniam opus id non est opus, etc.

## I X.

*Quod SOLA FIDE in Christum coram Deo Iudei & Gentes pariter iustificantur.*

J U S T I ficiari coram Deo peccatorem est Gratuitâ Dei bonitate & Misericordiâ non propter vlla merita & opera nostra, sed propter solum Christum Mediátorem Fide à nobis agnatum & apprehensum, absolui à peccato, seu consequi remissionem peccatorum, reconciliari & placere Deo, & adoptari in filium Dei & hæredem vitæ æternæ. Sic pariter Iudæos & Gentes iustificari teſtantur, Petrus Act. 10. incoans vocatiōnem gentium, Christo omnes Prophetæ testimo-

## IVSTIFICATIO.

testimonium ferunt, quod remissionem peccatorum accepturus sit per nomen eius, quisquis crediderit in eum. Paulus Act. 13. Per hunc, omnis qui credit, iustificatur. Rom. 3. Iusticia DEI per Fidem in omnes & super omnes (Iudæos & gentes) qui credunt. Non enim est differentia. Omnes enim peccauerunt & carent gloria Dei, Iustificantur autem Gratis, Dei GRATIA etc. Rom. 9. 10. 11. Iacobus in prima Synodo Apostolorum Act. 15. Credimus nos (Iudæos) per gratiam Domini nostri Iesu Christi saluari, quemadmodum & Gentes saluantur, & hoc loco Dauid, disertè se ad Gentium societatem aggregat. *Quoniam confirmata est super nos misericordia eius,* Super nos, inquit, Iudæos ac Gentes, Dominum laudantes. Nam ut Gentes mortuæ delictis & peccatis Gratuita dei misericordia iustificantur: ita Dauid, scipsum & ceteros Iudæos, non minus coram Deo peccatores esse, quam Gentes, & sola Dei misericordia in Christo promissa fide iustificari affirmat.

Est autem causa Efficiens iustificationis nostræ, Deus iustus & iustificans eum, qui est ex fide IESU, Rom. 3. & 8. Quis accusabit

D sabit

## IVSTIFICA-

sabit electos Dei? Deus est, qui iustificat.

Causa Impulsiva interior seu ἀρχογουμένη in Deo, est Misericordia Dei immensa & gratuita, ex mera bonitate, Gratis, sine ullo nostrae dignitatis aut opertim respectu, remittens homini peccata, recipiens eum in gratiam, & acceptans ad vitam æternam.

Causa impulsiva exterior seu ἀρχοκαταργήτικη, seu Meritum, propter quod recipimur, est intercessio, OBEdientia, sanguis & mors filij Dei domini & Redemptoris nostri Iesu Christi, expiantis nostra peccata, & λύτρον seu precium pro illisufficiens, iustitiae diuinæ persoluens, & hanc persolutionem à se factam nobis imputans ac donans. Rom. 5. Cùm essemus hostes, reconciliati sumus Deo per mortem filij ipsius. I. Cor. 1. Christus nobis factus est à Deo, sapientia, iustitia, sanctificatio & redemptio.

Causa Formalis est absolutio à peccato, seu remissio peccatorum, reconciliatio cum Deo, imputatio iustitiae Christi, & acceptatio ad vitam æternam.

Causa Instrumentalis, seu medium per quod Deus misericordiam suam & beneficia Christi nobis offert & applicat, est, ratione Dei, VERbum Euangeliū seu Promissio Gratiae; ratione nostri, sola Fides amplectens

etens

## MVR SOLA FIDE.

Etens promissionem misericordiæ, seu gratuitæ reconciliationis & remissionis peccatorum, & imputationis iusticiæ propter Christum donandæ, & firma fiducia in ea adquiescens.

Hæ causæ omnes ferè, à Paulo coniunguntur Rom. 3. & 4. Iustificamur, absoluimur in iudicio Dei à peccato, & iusti, imputata nobis Christi iustitia, pronunciamur, GRATIS non propter nostra opera aut merita quæ nulla habemus, Dei gratia, gratuita misericordia remittente peccata propter Christum, per Redemptionem factam in Iesu Christo etc. vt paulo ante hoc dictum recitauimus.

Cùm autem SOLA FIDE coram Deo nos iustificari affirmamus: non excludimus meritum Christi, nec nostram pœnitentiam aut conuersionem ad Deum, nec bona opera & virtutes, ne sequantur vel adsint Fidei, (etsi enim sola iustificat, tamen nunquam sola est fides vera, quin per dilectionem efficax sit:) sed CAVsam remissionis peccatorum, à nostris operibus & meritis ademptam, in solam Dei misericordiam, seu solum Christum mediatorem fide apprehensum transferimus. nec aliud, cùm sola nos Fide iustificari, dicimus, quàm sola Dei misericordia propter Christum promis-

D 2 sa,

## S O L A

sa, nos iustificari. Quam promissionem nulla ratione alia quam sola Fide apprehendere & nobis applicare possumus, ut Rom. 4. dicitur. Ideo ex fide, Gratis, ut sit firma promissio. Quod si ex Lege seu nostris operibus ac obedientia erga Legem esset iustitia, non esset ex promissione, Atqui Abraham per promissionem donauit Deus Gal. 3. Concludimus ergo Fide iustificari hominem, sine operibus Legis, (Rom. 3.) quæ propositio prorsus huic æquipollit, Sola fide iustificamur, sicut & illa Ephes. 2. Gratia, seu gratuita Dei misericordia, saluati estis, per Fidem, & non ex operibus.

Et in hanc sententiam, omnes ferè patres, Græci & Latini, SOLA FIDE nos iustificari docuerunt. Basilius ταῦτα νοεῖ. Dicit autem Apostolus : Qui gloriatur, in Domino glorietur : dicens, quod Christus nobis factus sit sapientia à Deo, & iustitia, & sanctificatio, & redemptio, ut si-  
cūt scriptum est : Qui gloriatur in Domino glorietur. Hæc est enim perfecta & solida gloriatio in Deo, cùm non propter iustitiam propriam aliquis sese effert, sed agnoscit se indigere vera iustitia, FIDE autem SOLA in CHRISTVM iustificari.

Origenes lib. 3. in Romanos, ter aut quater  
eam

## F I D E

eam formam loquendi repetit: Arbitramur ergo iustificari hominem per fidem, sine operibus legis. Et dicit sufficere SOLius FIDEI iustificationem, ita ut credens quia tantummodo, iustificetur, etiam si nihil ab eo operis fuerit expletum, ut latro in cruce. Chrysostomus ad Galatas 3. Demonstrat, qui SOLa Fide nititur, eum benedictum esse & cum fidi Abraham benedici.

Ambrosius in Rom. 3. 4. Quomodo ergo Iudæi per opera legis iustificari se putant iustificatione Abraham, cum videant, Abraham non ex operibus Legis sed SOLA Fide iustificatum. Non ergo opus est lege quando impius per SOLam Fidem iustificatur apud Deum. In I. Cor. 1. Hoc constitutum est à Deo, ut qui credit in Christum saluus sit, sine opere, SOLA FIDE gratis accipiens remissionem peccatorum. Bernardus serm. 22. super Cantica. Quamobrem quisquis pro peccatis compunatus esurit aut sitit iustitiam, credit in te, qui iustificas impium, & SOLam iustificatus per Fidem, pacem habebit ad Deum. Hæc & similia testimonia in Patrum lectione pijs obseruent, ne prorsus nouam & Ecclesiæ veteri ignorantiam, ideoque impiam & abominandam esse

D 3 iudi-

PRÆVALET SV-  
iudicent doctrinam de SOLA FIDE iustifi-  
cante, ut Papistæ eam haberi volunt.

X.

CONSOLATIO OPPO-  
nenda Desperationi.

QVoniam Confirmata est (præ-  
ualeat, seu regnat) super nos Misericor-  
dia eius. quod Paulus effert, Gratia  
exuberat supra peccatum.

Insignem & dulcissimam Consolatio-  
nem, lethiferis mortibus desperationis oppo-  
nendam, & in quotidiana ad Deum conuer-  
sione & inuocatione cogitandam, emphasis  
verbi Gabar, quod vincere, seu præualere, &  
regnare, significat, considerandam propo-  
nit. Cūm enim vincat seu præualeat miser-  
icordia Domini super nos: testatur Gra-  
tiam viētricem peccati, & maiorem ac po-  
tentiorē peccato esse. Etsi enim ingens  
& immanis sit malicia & turpitudō peccati;  
tamen precium seu λύτρον à Filio Dei per-  
solutum maius est, & filius Dei maior & po-  
tentior toto regno peccati & mortis. Quan-  
tacunq;

## PER NOS MISERIC.

tacunq; igitur seu magnitudo seu multitudine sit peccatorum nostrorum, quæ impellunt corda, ut ruant in desperationem, & cum Cain exclamet: Maius est delictum meum, quam ut veniam consequi possim: nos, præualere seu vincere gratiam, & maiorem esse Dei misericordiam, quam omnium peccatorum miseriā sciamus. Ideoq; promissione gratiæ vniuersali & gratuita nos sustentemus, & Deo promittenti remissionem peccatorum, laudem Misericordiæ & Veritatis seruantis promissa, tribuanus, ut primi parentes horribiliter lapsi, Dauid, Manasse, Petrus, latro in cruce & similes, quantumuis magna mole atrocium delictorum onerati, tamen non succumbunt, nec desperant, sed ad filium Dei thronum gratiæ & veritatis Fide confugientes, remissionem siorum scelerum, & recreationem seu quietem & pacem conscientiæ, terroribus iræ Dei & æternæ damnationis consternatae inuenierunt. Non deliquisti grauius Manasse, vel latrone in cruce, non igitur desperes, sed exemplo latronis in cruce ad Christum fide conuertaris, nec dubites Deum immensa & gratuita bonitate & misericordia, propter filium Dei Mediatorem & propitiatorem tibi ignoscere, & te in gratiam recipere, &

D 4      vita

## PRÆVALET MISERI-

vitæ æternæ hæredem esse. Sic in conuer-  
sione ad Deum vera , hunc Psalmi versicu-  
lum, ad vsum transferamus. Deinde in  
quotidianis exercitijs pœnitentiæ & inuo-  
tionis, etsi multum in nobis adhuc caligi-  
nis, dubitationum & vitiosarum inclinatio-  
num & adfectuum in voluntate & corde,  
voluntati & legi Dei rebellantiū sentimus,  
ideoque angimur, & indignos nos remur,  
qui ad D E V M accedamus, & bona ac libe-  
rationes ab eo petamus : tamen gratiam Dei  
exuberare, & vmbraculo Filij Dei Mediato-  
ris peccatum tegi, & nobis non imputari ad  
damnationem sciamus. Nulla enim nunc  
condemnatio est his , qui in Christo am-  
bulant. &, Beati, quorum remissæ sunt ini-  
quitates, & quorum testa sunt peccata. Bea-  
tus vir, cui non imputauit Dominus pec-  
catum.

Postremò, cùm quotidiè stimulis illis vi-  
tiosarum inclinationum & adfectuum ad ex-  
terna etiam delicta & lapsus incitemur : ad-  
iuuat nos Gratia & donatus per gratiam Spi-  
ritus sanctus, vt resistere illecebris peccati,  
easque vincere seu mortificare possimus,  
donec prorsus sublato , in resuscitatione,  
peccato & morte , integra iustitia & vita æ-  
terna restituatur, Rom. 6. Peccatum vobis

non

## C O R D I A.

non dominabitur: Non enim estis sub le-  
ge, sed sub gratia. Rom. 8. Si actiones car-  
nis Spiritu mortificabitis, viuetis. Hanc  
insignem doctrinam, de qua emphasis verbi  
Gabar nos admonuit, diligenter & attente  
hoc loco consideremus, & ad usum, in quo-  
tidianis, pœnitentiæ, inuocationis, & vitæ  
nostræ exercitijs, transferamus.

## X I.

*VERITAS DOMINI  
manet in æternum.*

Fundamentum totius Religionis, Doctrinæ, & pietatis Christianæ, Timoris Dei, Fidei, Spei, inuocationis, patientiæ, & cæterarum virtutum, est VERITAS DOMINI DEI nostri æterna & immota. Qui & ipse veras de se ipso & omnibus alijs rebus notitias habet; & fons est veræ doctrinæ, veræ iustitiae, ac vitæ: & verè sentit ea, quæ in Verbo suo DIxit: & constanter seruat ac certo tribuit ea, quæ in verbo suo promisit aut comminatus est: amat & requirit veritatem, in iudicijs, contristibus, pactis, sermonibus de nobis &

D s      alijs

## VERITAS DO-

alijs, & vtilitates veritatis in communi vita  
ideo tam latè sparsit, vt intelligamus, Deum  
esse veracem, & ipsius verbum non ambi-  
guum & fallax, sed verum ac certum; &  
Promissiones ipsius ac comminationes, ne-  
quaquam inania θελητία vel μορμολύκεια,  
sed ratas & firmas esse statuamus.

Ex hac agnitione Veritatis Dei, qui  
mentiri nescit, oritur FIDES agnoscens  
Deum qualis est, sicut essentiam & volun-  
tatem suam, in verbo per Prophetas & Apo-  
stolos tradito patefocit; & firma assensione  
omnes Doctrinæ articulos in verbo DEI tra-  
ditos amplectens.

Cum comminationes iræ Dei & præ-  
sentium ac æternarum pænarum, certò ve-  
ras esse sentimus; existit in animis nostris  
verus Timor DEI seu Pœnitentia, cogita-  
tione iræ Dei aduersus sua peccata serio ex-  
pauescens, & metu iræ ac iudicij diuini de-  
lista vitans.

Cum Promissiones Dei de remissione  
peccatorum, liberatione ex ærumnis & à  
morte, & vita æterna propter Christum me-  
diatorem Gratis donanda, vera assensione  
amplectimur: nascitur FIDUCIA in Deo no-  
bis propter Christum propicio, in omnibus  
ærumnis ac morte ipsa, adquiescens: & IN-  
uoca-

## MINI IN ÆTERNUM.

nocatio, à Deo velut patre φιλοσόγω omnia bona petens ac expectans: & PATientia placide obediens Deo, in tolerandis omnibus aduersis: & SPE S certam liberacionem ex omnibus malis, & VITam ac gloriam æternam expectans. Vitam enim æternam certò promisit Deus, qui mentiri nescit, Tit. i. &, Hæc est voluntas Dei veracis, vt omnis qui videt Filium & credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam.

Etsi autem in æternum Véritas Dei manet, nec ex nostro consensu pendet, nec incredulitate nostra redditur irrita: tamen promissiones non sunt nobis salutares, nisi Fide accipientur. Ut enim pharmacum, quantumvis salutare, nisi applicetur & sumatur, nihil prodest corpori: Sic Dei promissiones, quantumvis sua natura verae ac certæ, nisi per Fidem nobis applicentur, utilitatem & fructum non adferunt fide vera destitutis. Rom. 4. Ideò ex Fide Gratis, vt sit firma promissio.

Quòd autem contra veritatem diuinorum Promissionum opponitur: Si promissiones Dei certæ & ratæ sint, oportere pijs benè esse: impijs male: nam his, iram suam & omnis generis calamitates & pœnas Deum

## VERITAS PROMIS-

Deum comminari (Deut. 27. Leuit: 26.) Pijs autem & obedientibus præmia Vitæ præsentis & futuræ polliceri. Sed in hac vita impios plerumque potentia, opibus, gloria & rebus omnibus ad voluntatem fluentibus florere. Pios verò omnium hominum miserrimos ac ærumnosiss. ab impijs imperio premi vel prorsus interfici. Nihil igitur promissiones aliud esse, quam rumores vacuos, verbaque inania, & parem sollicito fabulam somnio, ut Senecæ versibus utar.

Primum autem ad Maiorem de Promissionibus Diuinis respondeo: Veritatem Domini in æternum manere, & vera ac æterna præmia, æuo sempiterno fruenda, non brevia tantum & momentanea huius vitæ commoda, pijs polliceri. Cùm enim iustitia & veritas Dei perpetua & æterna sit: Deus iustos non brevibus tantum & mox desitarris in hac vita supplicijs punire, nec iustos fugacibus tantum & fallacibus præsentis vitæ bonis ornare, sed iustitiam & veritatem suam in rebus æternis vult ostendere. Ideo præcipua præmia & præcipuas poenas in æternam vitam differt. estq; testimonium de immortalitate, & de æterno iudicio ac vita secutura, firmum & illustre, hæc ipsa, ut videtur, inæqualitas & confusio, quod bonis male,

## SIONVM DIVIN.

malè, malis verò səpē in hac vita benè est.  
Cùm enim iustitia & lex Dei, sanciens iustis  
præmia, iniustis pœnas, in æternum vera  
maneat: necesse est in omni æternitate  
Tiberium, Dionysium & similes tyrannos,  
in hac vita felices, puniri. Abeli autem,  
Ieremiæ, Paulò in æternum benè esse.

Deinde ad Minorem. Pij in hac vita  
sunt miseri ac ærumnosi, quia in ipsis quoq;  
hæret adhuc peccatum, & multiplex caligo  
dubitaciones & affectus viciōsi, quos Deus  
vult agnoscī & emendari, & in ecclesia præ-  
cipuè iram suam aduersus peccata conspicī.  
Idē iudicium à domo DEi incipit. Impij  
verò florent exiguo tempore, mox in cru-  
ciatus nunquam desituros abjiciendi: cùm  
pios, non fugacia, non exiguo tempore du-  
ratura bona, vt est huius vitæ curriculum:  
sed perpetuò mansura præmia maneant.

Hanc multorum Disputationibus agita-  
ti argumenti explicationem breuem, postre-  
mo huic Psalmi hemistichio addidi; cùm de  
Veritate & Certitudine VERBI diuini, seu  
doctrinæ à Deo traditæ, & totius Fidei ac  
religionis Christianæ: in enarratione Quarti  
capitis Deuteronomij, prolixè à nobis alibi  
explicatum sit. Vnde huc assimi possunt.

12. Ve.

## XII.

# VERITAS DOMINI *manet in æternum.*

VERITAS à re ipsa nomen habet q. d. conuenientia seu congruentia notitiae, sermonis, gestuum, cum re ipsa. & cùm virtutem significat, ῥηγματική vera dicendi, & seruandi promissa & pacta, vt in proximo præcedente loco, denotat. Zach. 8. Veritatem & pacem diligite. Ephes. 4. Loquimini veritatem vñusquisque cum proximo suo. Sæpiissimè autem vox abstracta pro concreto, per metalepsin, usurpatur, pro vera notitia & veris ac æternis bonis. Iohan. 1. Gratia & Veritas, (vera notitia Dei, vera iustitia, & vita æterna) per Christum, (non per Mosen aut legem) data est. Iohan. 17. Sanctifica nos in veritate tua. Sermo tuus veritas est. verax, fons veræ doctrinæ, efficiens veraces, verè agnoscentes & inuocantes Deum.

Ita hoc loco, Veritas Domini manet in æternum; indicat, Beneficia Christi DOMINI,

## VERITAS IN ÆTERNUM.

ni, quæ in omnes Gentes & populos, verbum ipsius audientes, effundit, & nobis in hac vita & omni æternitate impertit, non umbras Mosaicas, non brevia & fugacia huius vitæ mortalis commoda, voluptates, diuitias, potentiam, honores, sapientiam & iustitiam carnis, regna politica: sed VERA & ÆTERNA BONA esse, veram agnitionem Dei, æternam lucem sine vlla caligine, sapientiam sine errore, iustitiam sine peccato, vitam sine morte, lætitiam sine mærore, Dignitatem sine tremore, opes sine amissione, abundantiam sine defectione, sanitatem sine languore, ætatem sine tempore, animam sine metu, carnem sine terra, corpus sine sensu doloris, denique æternam beatitudinem, seu omnium bonorum, nullo admixto malo, cumulatam complexionem; & ineffabilem lætitiam & Gaudium in Deo summo bono adquiescens, eoque amato fruens, ac perenni torrente voluptatis diuinæ beatos inebrians.

Omnia huius vitæ bona, voluptates, solatia, verè (vt in versu Virgilij dicitur, namque vt supremam Falsa inter gaudia noctem Egerimus nosti) verè FALSA, fucata, fluxa, insincera, fugacia, impura sunt, & tandem tedium & nauseam hominibus ἀψικόροις καὶ φίλοις

## VERITAS IN ÆTERNUM.

φιλοσόφοις adferunt. Sola æternæ vitæ bona, vera, expressa, solida, pura, sincera, constantia, perpetuæ duratura, nec ullum fastidium parientia, sed verè ἀφεατα, ιψη ἀμίχιατα, και ἀμάραντα, & omnibus suis partibus expleta & perfecta sunt. sicut in explicacione doctrinæ de vita æterna, hanc falsorum huius vitæ, & æternorum Bonorum & Gaudiorum, collationem, prolixius euoluimus. Quamvis enim & hæc mortalis vita, Dei, mortali in corpore donum est, Nostraque diuina membra fouentur ope: Oppressa est tamen hæc ingenti mole laborum, Debilis & nunquam vita dolore caret. Non hic vera quies, non gaudia vera parantur, Gaudia venturæ sola relicta scholæ. Felices igitur verè, vereque beati, In Domino vitam qui posuere suam. ο γαρ παραντίκα ἐλαφρὸν τὴν θλίψεως ἡμῶν, καθ' ὑπερβολὴν εἰς ὑβερβολὴν ἀιώνιον βάρος δόξης κατεργάζεται ἡμῖν μή σκοπόντων ἡμῶν τα βλεπόμενα, αἷδα τα μή βλεπόμενα. τὰ γαρ βλεπόμενα προσκαγα, τὰ δὲ μή βλεπόμενα, αἰώνια. vt 2.  
Cor. 4. Paulus, Consolationem, ærumnis  
huius vitæ, & morti ipsi opponen-  
dam tradens, asse-  
uerat.

F I N I S.









F m

3598

(1-2.)

Deut  
auter  
sentis  
impi  
& re  
flore  
serrin  
prem  
prom  
cuos  
fabul

fionil  
mini  
præn  
uia ta  
moda  
verit  
iustos  
ris in  
fugac  
tæ bo  
suam  
præc  
terna  
imm  
secut  
detu




Image Engineering Scan Reference Chart TE263 Serial No. 038

## S PROMIS-

(Deut.27. Leuit: 26.) Pijs  
tibus præmia Vitæ præ-  
liceri. Sed in hac vita  
potentia , opibus , gloria  
et voluntatem fluentibus  
omnium hominum mi-  
ofiss. ab impijs imperio  
interfici. Nihil igitur  
esse, quam rumores va-  
ania , & parem sollicito  
vt Senecæ versibus utar.  
ad Maiorem de Promis-  
spondeo: Veritatem Do-  
manere, & vera ac æterna  
iterno fruenda , non bre-  
uentanea huius vitæ com-  
i. Cùm enim iustitia &  
& æterna sit : Deus in-  
stantum & mox desitu-  
plicijs punire, nec iustos  
& fallacibus præsentis vi-  
d iustitiam & veritatem  
nis vult ostendere. Ideo  
& præcipuas pœnas in æ-  
rt. estq; testimonium de  
de æterno iudicio ac vita  
et illustre, hæc ipsa, vt vi-  
& confusio , quod bonis  
male,